

Witteman. M. 16. fol. 10.

Witteman. M. 16. fol. 10.
Witteman. M. 16. fol. 10.

Witteman. M. 16. fol. 10.
Witteman. M. 16. fol. 10.
Witteman. M. 16. fol. 10.

Witteman. M. 16. fol. 10.
Witteman. M. 16. fol. 10.

Witteman. M. 16. fol. 10.
Witteman. M. 16. fol. 10.
Witteman. M. 16. fol. 10.

CORPORUM

Dissert. Praeiude Joh. Christi. Sturm

O,

N-

Corporum non impedita circulatio	1671
de Cartesianis	1677
de Philosophia sectaria	1679.
Principio gravium	1685
Aristotelis	1686
de philosophico divisione	1688
de admiratione	1689.
de fortuna	1690
de curatione mortis Herkiae	1691.
Hocer miscellae	1696.
de Elephante	1696
de natura	1694
florae philosophicae	1694
Malleus	1694
de Mathematicis	1688
de amphioxus	1694.
de Brutorum actionibus	1702
de misericordia	1702

onis,

e

ixosov

RMIO,

Norimb.

*

pogr.

110

CORPORUM
non impedita
CIRCULATIO,
CAUSA

INNUMERORUM ADMIRAN-
DORUM MAXIME NATURÆ
EFFECTUUM,
& in specie quidem
omnis

Rarefactionis & Condensationis,
Dilatationis & Compres-
sionis;

Quæq; in his necessariò supponitur
Materiæ cuiusdam subtilissimæ
per universum mundum diffusæ
quam Aristoteles *Φύσιν τῷ τῶν ἀερων συγχέων αὐάλοζον*
appellat &c.

D. O. M. A.
prout

JOH. CHRISTOPHORO STURMIO,
Mathem. & Phys. in alma Altdorphina
P. P.

publicè respondendo evincee
WOLFGANGUS WILHELMUS BÜHEL, Norimb.
d. 23. Jun. 1671.

ALTDORPHI
Typis HENRICI MEYERI, Univers. Typogr.





Ammonius in Arist. Categorias, ed. Venetæ
Rasarii p. 80.

Qui explicare Aristotelis libros velit, cum decet, neq; benevolenter adductum dare operam ut falsas sententias defendat, neq; eos perinde excipiat ac si ab Apollinis tripode manarent: neq;, ut quæ verè a recte dicta sunt perverse ac per odium excipiat: sed incorruptum esse omnium eorum quæ dicuntur judicem; ac primum quidem debet auctoris explicare sententiam, tum quæ eidem probentur interpretari; postrem de eisdem ferre judicium.

Idem in Lib. eundem, ad cap. τετραγόνι,
pag. 159.

Hac ideo ab eo (Aristotele) dicta sunt, ut nos moneat, ne in ipsis solùm dictis immoremur, & sententiis conquiescamus: Sed ut nos quoq; ea quæ hujus generis sunt, per nos indagemus &c.

Jacobus Zabarella Patav. Lib. II. de Prima rerum materia cap. XI.

Cum ego rem diligenter consideraverim, semperque estimaverim, quærendam semper esse ante omnia cùjusque rei veritatem, deinde illâ cognitâ, ad eam, fieri possit, verba Aristot. trahenda esse, non è contrario, quod multi faciunt; viderim autem hanc esse manifestissimam hujusce rei veritatem (etiam si id non assereret Aristot.) - dicendum censui, necesse esse ut Aristot. vel hoc idem dicat, vel falsum dicat.

Hono-

¶:]: o [:¶

Honoratus Fabri recentior Aristotelis Discipulus &
Cultor Tract. I. Lib. IV. pag. 268.
Scientia Physica.

Porro discedere ab Aristotele, si quando vel manifestum
experimentum, vel evidens ratio cogit, nullum vitium
est; & verò multa dicit, quibus vel divina fides adver-
satur --- vel manifesta ratio &
experientia.

F I N I S.



* *

*Rarefactio & Condensatio, aut generatim
omnis compressio & tensio, seu dilata-
tio corporum.*

4. Circula-
tionis effe-
ctus.

Quod in superioribus inter cætera de Machinis Hydraulicis primi generis, attractivæ cuidam virtuti vulgo adscriptis, ostendimus, eas omnes totidem effectus esse continuati in orbem motus quem Circulationem corporum appellare placuit; idem nunc de reliquis secundi tertiique generis hydraulicis, quibus vis aliqua vel expulsiva vel rarefactiva pro principio assignatur, esset (ita jubente rerum ordine) demonstrandum. Id verò cum commodè fieri non possit, nisi quid sit *Rarefactio*, eiisque opposita *Condensatio*, in quo item vis isthæc aëris expulsrix &c. consistat, accurate constet; harum etiam hîc erit omnino præmittenda diligentior consideratio, ipso insuper instituto nostro primario eam ideo postulante, quod ipsa rarefactio & condensatio, ipsa ista vis expulsiva, eandem nostram corporum circulationem pro causa & principio agnoscant.

XXXII.

Quandoquidem enim in Rarefactione non minus, quam in quavis alia tensione aut dilatatione, corpora sic in ampliora spatha diducuntur, ut ipsorum partes ad ulteriora loca emoverantur; non possunt autem ad isthæc ulteriora loca emoveri, nisi ex ipsis locis tantundem corporis aliis cedat atque in locum emotarum istarum partium per circulum abeat, vi fundamenti nostri primarii superius num. V. jacti; evidens est 1. non esse possibilem rarefactionem aut dilatationem ullius corporis sine admixtione & ingressu alienæ cujusdam materiarum; 2. non impeditum circulationis motum in ipsa rarefactionis, æquè ac omnis alius dilatationis, essentia involvi.

D

Sic

Sic etiam cùm in condensatione, non aliter ac in qualibet compressione, corporis antea expansioris partes ulterioribus locis emotæ, in spatiū angustius cogantur; non possint autem ex ante-memorato nostro fundamento partes illæ vel pristina & exteriora loca relinquere, vel in interiora se recipere, nisi ex interioribus illis (ante quippe non vacuis juxta n. superiorem IV.) alius corporis partes extrudant & in exteriora à se relictæ per circulum expellant: ipsâ rursum luce clarius est, à circulari quodam motu pendere condensationem omnem, nec absque materiæ alienæ prius admixtæ extrusione ullam esse possibilem.

XXXIII. Quantumvis autem veritas ita, ut solet, paucis patefacta, uno simul iētu omnes adversas, è præjudiciis quibusdam pronatas, opiniones facilè destruat, nullius vel autoritate vel testimonio indiga; hoc idem tamen, quod modò demonstravimus, ex Aristotele quoque (pro more seculi) ostendisse, &c, quid dissentientium objectiones valeant, intueri non injundum erit.

XXXIV. Aristotelem igitur quod attinet, is certè nostrum istum condensationis modum omnino comprobat lib. IV. Phys. c. X. vel text. 63. Cùm enim præcedente VIII. capite, pro inani seu vacuo obtinendo ipsi objectum esset, ὅτι Φαίνονται ἔνα σωμάντελη πλάσματα· οἷον καὶ τὸν οὐρέν Φυσι μετὰ τῶν σώμαν δέχεσθαις πίθες, ὡς εἰς τὰ ἐνόντα κενά σωμάτια· τὴς πυκνυγμένες σώματα. h. e. quod videantur quedam coire & comprimi, sicut & vinum ajunt una cum utribus recipi à dolis, tanquam corpus condensatum coēat in ea spatia quae insunt; responderet jam alleg. loco Aristoteles: Ενδέχεται δὲ καὶ πυκνύσθαι μή εἰς τὸ κενόν, αἴλλα (NB.) διὰ τὸ τὰ ἐνόντα ἵκπερηντεῖν, οἷον ὑδατα· σωθλισμένες τὸν ἐνόντα αἴρεσθαι, i.e.: Possunt autem corpora etiam condensari, non in zanane, sed quia extruduntur ea quae insunt, ut aqua compressa extruditur aér qui inest. Quam Philosophi responsionem his verbis illustrat Pacius

in

in Comment. Respondet Aristoteles, hoc non ideo fieri, quia spatia inanizia repleantur; sed quia, dum corpus comprimitur, partes subtiles, quae insunt, extruduntur: sicut dum aqua, aut vinum, utribus constringitur, exiret aer. Nam illa non erat pura aqua, sed continebat in se aliquid aeris. Adhuc autem plus aeris inest vi- no quam in aqua. Vinum igitur eâ ratione decrescit, ac dat locum utribus ut simul recipiantur in dolio. Elegantiora vero ad- huc sunt quae Philoponus habet ad eundem Arist. locum: έν- δέχεται χάρη Φησιν (Arist. sc.) αὐτὰ τούτα πυκνός τὸ σώματα μή εἰς τὸ έ- γόντων καὶ ἐνεργετακένα, αλλὰ τῷ ἐνθλίβειν καὶ εκπυξηνίζειν (NB.) τὸ λεπτομερέστερον ἐν αὐτοῖς σώματα, εἰς τὸν εκείνων τόπον χωρεῖν. ὅπερ καὶ ἐπὶ τῷ οἴνῳ γίνεται· τῇ χάρῃ ἐκ τῶν ἀσκῶν πλήσθει εἰς αὐτοὺς οὐδὲ οὐδὲ πατελημένη λεπτομερής θύσια (NB.) εἴτε διεράδης, εἴτε καραβῆς τις οἷον ἀτμοδιάδης η πνευματώδης &c. Et paulò post: Καὶ ἄλλως δὲ αἱ τοῦ χωρεῖται λεπτόπερόν ἵστωμα τῷ παχυμερεστέρῳ; διὸ ὑδωρ πλήγεται αἴ- ρετο ἐνθλίβομέντος αἵρησι πυρός· γῆ δὲ ὑδατοῦ· καὶ αἴρετο. διὸ πίλησις πυρὸς τοκέστιν ὡς Φησιν ὁ θεμίτης· τὸ γέρες ἔχει τὸ λεπτομερέστερον, οὐ μητε- μελέτη. Neque minus clara sunt haec Simplicii ad loc. cit. Dicit ergo (Aristot. nimirum) hanc rationem, quod non est necessa- rium ut densatum habeat inanes meatus in seipso, ut, cum ei acci- dit densari, contrahatur in illos. Possunt enim expresso & colliso corpore dum quoddam subtilius corpus elabitur & evaporat, relin- quæ partes in minorem molem se se coarctare accomprimere. Et qui- dem densatio exeunte tenuiore & rariore, vel igne, vel aqua, & (NB.) universim abeuntibus subtleribus & à crassioribus separa- tis; & tum corpus crassius comprimitur & condensatur.

Similiter, cum loco priore objectum esset Aristotelis, *ibidem XXXV.*
αὐξησις δοκεῖ γέγενες πάσι διὰ κενῆς· τὴν μὲν γὰρ τροφὴν εἶναι σάμα
δύο δὲ σώματα αἰδίναντα αὐταὶ εἴναι i. e. quod etiam accretio, (quæ
vox hic ita generatim accipitur, ut etiam rarefactionem in-
cludat, prout & ratio objecti & exemplum responsi ostendit)
videtur omnibus fieri per inane; alimentum enim esse corpus: duo

verò corpora simile esse non posse; respondet postmodum in loco posteriore; καὶ αὐτὸν εἶπεν ὁ μόνος εἰσιν οὐκέτι οὐδὲν οἷον εἰ εἰς ὑδατον πάντα τοῦτο αἴρε. h. e: Et augeri (sc. possunt corpora) non solum corpore aliquo ingrediente, sed etiam variatione, veluti si ex aqua fiat aér. In quo responso fatendum est Aristotelem statuere modum aliquem augmentationis, imò (quod exemplum additum suader) rarefactionis in specie, sine corpore aliquo introgrediente; id quod alibi quoque facit, ut mox videbimus: Sed illud tamen simul manifestum, eum non improbase hic alterum quoque modum, quo corpus aliquod augetur alius materiæ introgressu, sed negâsse saltem adversario consequentiam: id quod rectè observavit Pacius in Comment: illa igitur consequentia prava est, inquiens, nisi sit inane, non erit accretio: quia etiamsi non esset accretio per receptionem corporis, puta alimenti (è quâ receptione illi suum inane extorquere conantur) tamen poterit esse accretio per variationem. Dari autem accretionem per receptionem corporis, etiam ex mente Arist. clarè docet idem Pacius, ad seq. §. 6. sub cap. finem, cùm ait: *Auctio viventis ita fit: in poris & meatibus non est inane, sed aut humor aliquis, aut subtile quidam ac tenues spiritus, qui alimento concocto in eos meatus ingredienti aedunt.* Itaque alteri saltem modo, & ei quidem perceptu facillimo, augendorum corporum, quem assignat Aristoteles, cum nostris demonstrationibus omnino convenit. Quem autem præter hunc fovet aliud, quia nec necessarius est, (cùm per priorem illum omnis augmentatio salvari satis queat) & impossibilis, vi nostræ demonstrationis, ac denique (quod mirum jam non est amplius) conceptu difficillimus, si post habeamus priori ac omnino negligamus, non erit tamen (siquidem hoc aliquis desideraverit,) nostra sententia minùs Aristotelica.

XXXVI. Antequam autem & hunc posteriorem Aristotelis modum,

dum, & alteras Gassendi ac inanistarum nobis adversas rationes excutiamus, unicum adhuc ejusdem Philosophi locum videre juvabit. Sic autem scribit inter alia in *Categorio* qualitatis: τὸ δὲ μανὸν καὶ τὸ πυκνὸν καὶ τὸ τραχὺ καὶ τὸ λεῖον δίξει μὴ ἄν ποιόν οὐ σημαίνειν. οὐκέ δὲ ἀλλότρια τὰ ποιῶν τὰ εἴναι τῆς φύσεως τὸ ποιὸν διαφέρεσσε. θέσιν γάρ οὐτα μᾶλλον φαίνεται τῶν μορίων ἐκάπερον δηλεῖν. Πυκνὸν μὲν γὰρ τῷ τὰ μόρια συίσχυσι εἴναι ἀλλήλοις. Μανὸν δὲ τῷ διεσάνθετον αἴρειν καὶ λεῖον &c. h. e. Ammonio Paraphraste: *Quia quod particeps est, (intellige raritatis & densitatis &c.) videtur affici quodammodo à raritate aut densitate aut asperitate aut levitate, & ab eis nomen trahit; ideo opinionem quandam hæc efficiunt qualitatis: id tamen verum non est, sed potius ad situm esse referuntur, siquidem situm quendam significant.* (Ubi obiter adnoto, litem hanc forte non incommode tolli, si dicatur, respectu partium isthæc esse situm aliquem, respectu totius autem affectionem seu qualitatem ex illo partium situ ortam) *Densum enim dicitur (N.B.) cuius partes propè cohærent, ita ut aliud diversi generis corpus capere non queat: rarum cuius partes inter se disjunctæ sunt, ut inter eas corpus diversi generis possit intercipi, &c.* Ecquis verò ex his Aristotelis & Ammonii verbis elucidere non videat eum ipsum, quem suprà demonstravimus, rarefactionis & condensationis modum? Etenim si rarum corpus id est, inter cuius partes disjunctas aliud corpus diversi generis intercipitur, quo pacto alio condensabitur, nisi cum expulso isto diversi generis corpore, partes corporis rari ante disjunctæ in expulsiorum locum per circulum redeunt, sibiique adeò proprius junguntur? Et, si densum corpus est cuius partes proprius junctæ diversi generis corpus excludunt, quo alio id modo rarefiet, nisi cum intrusâ corporis alieni fluxâ substantiâ partes corporis densi ante coniunctæ in locum intrusarum per circulum expelluntur, atque adeò magis à se mutuo disjunguntur? Alexander Aphrodisæus

certè in II. Nat. Quæst. i z. planè nobis adstipulatur in his verbis: Συσέλλεται γάρ τότο, ὅτενεργεία αὐτὸ μένον ὅπλη τῆς αὐτῆς γάστρας εἰς ἐλάττονα σύγκον συμάγεται, η δότο τινὶ Θεῷ υφ' ἔστι τοῖς πάντας δεῖται τότο πάχοντα διπορεύεσθαι τοῦτο τότο ποιεῖ. η γάρ τοῦ πνεύματος χωρὶς λογίαν τὸ λοιπὸν σῶμα εἰς τὴν πάσαν τοῦ ἔκστασις κατηχόμενην ουρέρχεται, η τοῦ υφρᾶς τοῦ ἐν αὐτοῖς παρεσταρμένου. h. e: Contrahitur hoc, quod actu idem manens in propria substantia in minorem nollem deducitur, aut ab aliquo aut à seipso. (NB.) Omnia auemque hoc patiuntur, secrezione alicujus hoc faciunt. Aut enim cum separatur Spiritus, reliquum corpus in spatiū nuper ab illo occupatum eōt; aut cum humidum, quod est in ipsis disseminatum scil. secernitur aut expellitur &c.

XXXVII. Quamvis itaque, prout obvium, veritatem tenuerint Aristoteles ejusque Commentatores, verumque rarefactionis & condensationis modum eleganter explicarint; non possumus tamen inficiari, ad alium quoque multò intricatiorem (quasi scil. prior iste ad omnia rarefactionum & condensationum genera explicanda non sufficeret) ipsos configuisse, quem nunc videre & examinare paulum lubet, et si vi demonstrationis ab initio datae certum jam sit, & hunc & quemcunque alium, ab hactenus explicato diversum, tūm superfluum tūm etiam impossibilem esse. Aristoteles igitur cap. XIII. (al. IX.) vel text. 79. cit. superius lib. cum dixisset, εἰσὶ δὲ ὑπερ εἰδίᾳ τε παντὶ καὶ πάντῃ οἰσται φανερὸν εἶναι ὅτι εἴσι κενὸν (eodem sc. arguento quo supra jam dissolverat, quodque Philoponus ad h. l. in debita forma sic effert: εἰ μὴ εἴσι, φησὶ, τὸ κενὸν, σὸν εἴσι μάνωσις καὶ πάνωσις. ἀλλὰ μὴν εἴσι μάνωσις καὶ πάνωσις. εἴνιν ἄρα τὸ κενὸν) & postea minorem hujus argumenti fusius ipse confirmasset; consequentiam tandem (quam in supra citatis verbis abundē jam confutaverat) aliā quoque ratione infirmare aggreditur, supponens sc. unam eandemque materiam, sicut ē calida frigida, & ē frigida calida, &c. fieri possit

possit nullâ realiâ vel admissâ vel exclusâ: ita etiam ex magnitudine in parvitatem contrahi & è parvitate in magnitudinem expandi posse sine admissione aut exclusione vel vacui vel ullius extraneæ materiæ; solâ sc. uti suprà dixerat, à mole & seu alteratione mediante. Atque hæc est illa Peripateticorum decantatissima rarefactio & condensatio, quam solam propriè sic dictam volunt, alteram superius expositam impropriam appellantes; sine hac quippe distinctione inculpa de præsentium Magistri verborum cum superioribus conciliatione desperantes. Ita inter alios Gualterus Burlæus in Comm. ad locum priorem: *Intelligendum est hic, inquit, quod quædam est condensatio impropriè dicta & apparentantum, & quædam est condensatio vera: quoniam quando aliquod corpus sic constringitur, quod aliqua partes exeunt; non est condensatio vera sed apparentantum* (NB.) *neo illud corpus à quo exeunt partes occupat minorem* (ita enim legi, pro majorem, omnino oportet,) *locum quām prius secundūm veritatem; quia prius non occupabat totum locum: quia illæ partes sic exentes aliquam partem loci occupabant: quamvis appareat vulgo, quod illud corpus prius occupabat totum locum, & sic minoris quantitatis quām prius erat, ut si spongia comprimatur: ita quod exentes partes aëris à spongia, non est verum, quod spongia prius occupabat totum locum, quia partes aëris prius occupabant de isto toto loco.* Alia est condensatio vera & ut quando idem corpus numero, non propter exitum aliquarum partium ab eo, prius occupabat locum aliquem majorem, & postea occupabat locum minorem, absq; hoc, quod aliquod corpus exeat ab eo, & hæc condensatio fit per alterationem. Ita Honoratus Fabri in Physica sua noviter edita rerum & considerationum pulcherrimarum refertissima, Tract. I. lib. III. passim hanc distinctionem inculcat: *Licet aliquod corpus, inquit Prop. III. habeat intra poros vel internas cavitates aliquid subtilis & rara materia, non tamen inde dicitur rarum propriè.* Et seq. Prop. IV.

Con-

Concedo, ait, ultrò dari hujusmodi intrusionem; sic enim inflatur spongia, intumescit caro, pulmo, venter &c. igitur (NB.) dñe, quod sit, non disputamus, sed tantum (de nomine sc.) contendimus, non esse hoc propriè rarefieri &c. Porrò in Coroll. Prop. V: Hinc constat omnem rarefactionem non fieri per intrusionem corpusculorum, licet aliqua eo modo fiat, scilicet impropria. Similia cum sub finem Prop. III. dixisset, fatetur, hac (quæ negaverat aite rara esse,) impropriè dici posse rara, esse autem aliam propram raritatem: Sed videlicet tandem hanc de vocibus esse, non dñe controversiam, addit notanter: Deniq. si quis contuleret pro illa impropriararitate, de nomine nolo disputare; sibi servet & profit: hic enim, utrum alia detur, dispergo. Dari autem aliam Prop. V. demonstrare conatur, cuius argumenta postea videbimus; ubi vulgatores Aristotelicorum rationes priùs lustraverimus.

XXXVIII. Propriè ergò corpus aliquod rarefieri putant tunc cum eadem numero materia plus extensionis acquirit & majorem locum quam ante occupaverat, nullâ aliâ materiâ forinsecus accedente, aut partibus illius intermixta; & condensari contraria, cum ad minorem molem seu extensionem atque in angustiorem locum contrahitur, nullâ vel minimâ particulâ expulsâ. Quæ quidem rarefactionis & condensationis ratio, quam sit impossibilis (atque adeò maximè impropriè dicta,) sub initium hujus dissertationis abundè demonstratum, & præterea vel hinc evidentissimum est, quod, cum in corpore sic rarefacto plus sit extensionis quam erat priùs, adeoque plures partes extra partes quam antea, has intra se mutuò se antea tenuisse dicendum; &, cum in condensato sic corpore pauciores sint partes extra partes quam fuerant priùs, quia minus est extensionis, ipsas se mutuò postmodum introgressas esse, statuendum sit: utrumque quidem absurdissimè, quia utrumque multiplicem dimensionum penetrationem involvit.

Ver-

Verbo, cùm extensio vel sit ipsissima materia , vel materiæ saltem proprietas & necessaria affectio, vi superius n. III. demonstratorum ; non potest absq[ue] contradictionis implicatione dici in rarefactione plus acquiri , & in condensatione minus extensionis , & tamen utrobique manere tantundem materiæ : cuius equidem veritatis evidentia tanta est, ut ipsum Gas-sendum vacui sui obliisci , suarumque Animadvers. in Lib. X. Diogenis Laërtii p. m. 304. hæc scribere coegerit : *Ex quo sequitur extensionem sive quantitatem esse modum materiæ, seu, si velis, ipsam materiam, quatenus in puncto non est, sed partes habet extra partes, quarum ratione diffusa sit; atq[ue] idcirco unumquodq[ue] corpus tantum habere extensionis sive quantitatis, quantum habet materiæ; tanquam nimirum hac existente propriâ materia affectione.*

Videamus tamen argumenta Aristotelicorum pro altero isto rarefactionis & condensationis modo è cit. text. 79. Lib. IV. Phys. adduci solita : quamvis , quod h[ic] semel monemus, nec ex instituto hac de re ibi agat Philosophus, nec alteri rarefactionis rationi, quæ per interspersam partibus rarefaciendi corporis subtiliorem materiam explicatur , sed (quod totus contextus loquitur) ei quæ vacua spatiola intermixta postulat, illas rationes suas directè opponat. Primò igitur suppositis quibusdam ex antecedentibus, ratiocinatur eandem esse contrariorum materiam, ut caloris & frigoris , atque adeò raritatis & densitatis ; ita ut , quemadmodum eadem materia nunc calida nunc frigida actu fit , quia utrumque potentia est : sic eadem fiat nunc densa & rara, quod potentia utrumque sit. Sed hæc Aristotelis ratiocinatio nondum quicquam facit pro illâ rarefactione & condensatione propriè dictâ, sed hoc solùm arguit , eandem numero materiam , eandem e. g. aquæ mensuram , ut modò calidam modò frigidam fieri; ita nunc rarefieri nunc condensari posse: id quod verum manet

E

sola

Causa Rarefactionis & Condensationis

sólâ nostrâ rarefactione & condensatione admisâ. Quod si quis ita, ex mente Philosophi, inferendum esse dixerit: Quemadmodum una eademque pars materiæ generatim modò unum modò alterum contrariorum subire, e. g. una eademque aquæ mensura nunc frigida, nunc calida, fieri potest? (NB.) sine omni admixtione aut expulsione alius materiæ: ita unam eandemque materiæ partem posse modò condensari modò rarefieri, pariter absque intermixtione aut expressione alieni corporis; tunc (ut non dicam controversum unum per aliud & què controversum probari) consequentia ideo infirma est, quod non sit eadem omnium contrariorum ratio. In quibusdam enim permutationibus (e. g. cùm ex aspero sit leve, ex albo nigrum, è quadrata figura triangularis &c.) sola sufficit in situ partium diversitas, neque plures partes requiruntur ad corpus lœve constituendum quam ad asperum, ad quadratum quam ad triangulare &c. In quibusdam autem quies permutatur cum motu, magnitudo cum parvitate &c. ubi plus semper materiæ quam antea requiri è supradictis manifestum est. Quis enim e. g. conceperit cubicam 27. digitorum materiæ particulam in duplam amplitudinem expandi, ut tota tamen illa amplitudo postea non contineat 54. ejusmodi digitos, & consequenter, cùm omnes materiales sint & corporei, viginti septem digitii novi cuiusdam & alieni corporis prioribus viginti septem admixti non sint? Quid multis? Cùm altera ista ipsis impropriè dicta condensatio & rarefactio, non minus contrariae sint quam ea, de quibus in præsenti nobis res est, quam calefactio & frigefactio, & ipsi tandem fatentur, (ut supra vidimus,) ibi unam eandemque materiæ partem nunc condensari nunc rarefieri per admixtio- nem aut separationem corpusculorum quorundam; eo ipso suam illam ipsi negant & infringunt consequiam.

Eadem est conditio alias argumenti, vel exempli potius quo

quo suam illam ficitiam rarefactionem & condensationem
porro conantur stabilire. Verum sanè est, quod dicit Aristoteles, eandem materiam quæ prius aqua erat fieri aërem,
aut potius vaporem, imò verum est quoque quod addit. &
 $\pi\delta\sigma\lambda\alpha\theta\eta\pi\alpha\lambda\theta\pi$, non assumto aliquo alio, intellige quod
partem illius aëris aut vaporis constitueret. At si per hoc ad-
ditamentum exclusam velint ab Aristotele quamcunque ma-
teriam, quæ, ut aëris istius pars non sit, partes ejus saltem in-
tercurrat & disjungat in amplius spatiū, tum evidentissimè
hoc ipsorum argumentum petet $\pi\delta\sigma\lambda\alpha\theta\eta\pi\alpha\lambda\theta\pi$ h. e. probationis
loco assumet id quod probandum erat. Cùm enim ex aqua
non fiat aér nisi per rarefactionem, secundum ipsas Aristote-
lis hypotheses, apertum est eum, qui aquam in aërem com-
mutari citra admixtionem alienæ materiæ assumit, ut inde
probet dari rarefactionem aliquam citra admixtionem novæ
materiæ, $\tau\delta\pi\delta\sigma\lambda\alpha\theta\eta\pi\alpha\lambda\theta\pi$ ipso Aristotele judice Lib. II.
Soph. Elench. c. 2. & Lib. VIII. Top. cap. ult. Certum est
eandem materiam quæ lutum prius erat commutari calcan-
do posse in pulverem latissimè dispersum, etiam non assumtā
aliā materiā, quæ sc. pulveris partem constituat: impossibile
tamen est è densiore antea gleba pulverem tantæ expansio-
nis excitari posse, quin alieni corporis, aeris nempe, particulæ
pulvisculos istos singulos intercurrant eosque à se mutuò dis-
jungant. Si enim totum istud amplissimum spatiū, 100.
e. g. pedum cubicorum, non nisi pulvis seu materia eadem
quæ antea lutum fuerat, unius e. g. pedis cubici, occuparet, &
pari ratione si aquæ pes unus in centum pedes aereos expan-
deretur, necessum esset centum istos extensionis pedes antea
sub unius pedis extensione latuisse; id quod dicere quid aliud
esset quām centuplicem dimensionum penetrationem sta-
tuere? Nec est quod effugiant dicendo, omnes istos reliquos
extensionis pedes in unico pede aqueo, non actu quidem sed

potentiâ latuisse: Si enim actu prius ibi non fuerunt, necsum est de novo postmodum producti sint; & cum extensio sit idem cum materia, aut, si mavis, ut accidens saltem materiæ inseparabile absque suo subjecto produci non potuerit, non hoc ipso propria vineta cœdunt, & rarefactionem esse nullam posse sine novæ materiæ accessione, &c., quod plus sit, productione, evidenter demonstrant. Ut taceam effugio nemorato reverâ nihil aliud dici, quâm materiam actu unum pedem extensam posse in centum pedum extensionem dispendi: id quod extra litem est, id tamen quod est rō ~~ne~~ volere, indecisiū relinquit, an sc. possibilis sit expansio ista circa alienæ materiæ additamentum.

XLII

Quas porrò subjungunt ex Aristotele similitudines, ne illæ quidem rem conficiunt; dum e. g. dicit, si majoris circulicircumferentia & curvitas fiat minoris circuli peripheria & curvitas, nullam partem fieri curvam quæ antea recta fuisse, non curva; sed omnes jam ante curvas magis incurvari: Exinde enim hoc ad summum concluditur, pari modo, dum corpus densum (*rarum*) porrò densatur (*rarefit*) nullam partem fieri densam (*raram*) quæ antea nondum densa (*rara*) fuerit; potius omnes jam ante densas (*raras,*) fieri densiores (*rariores.*) At enim hoc non quærirur, sed illud: an raræ illæ partes porrò rarefieri queant sine ulteriore sui distractione & disjunctione per interfluentem subtiliorem quandam materiam; aut partes jam densæ densari porrò possint nisi extrusis subtilioribus quæ admixtæ fuerant? id quod equidem tam impossibile est, quâm impossibile circumferentiam majorem in minorem contrahi, nisi parte notabili aut pluribus è majori circumferentiâ sublatis; ut mirum haud sit, Pacium, id ipsum in luce tam clara videre coactum, hoc Aristotelis exemplum his exposuisse verbis: *Tertium exemplum est: quia (NB.) si pars absindatur ex circumferentia magni circuli, & due extremitates iungantur, ita ut fiat parvus circulus &c.*

Re-

Reliqua exempla si non obscuriora, saltem æquè obscura & *XLI.*
 controversa sunt quam id cui illustrando adhibentur, nec amplius quid inferunt quam antecedens. Omnia verò uno verbo hâc falsâ nituntur hypothesi, quasi partes omnes aliquis corporis, saltem similaris, ejusdem necessariò sint qualitatis cum suo toto e. g. omnes partes corporis rari, raræ, omnes aquæ partes aqua, omnes aeris partes aër &c. quæ tamen, ut de sensibilibus partibus concedantur, de insensibilibus, è quorum contextu corpora talia vel talia fiunt, sunt falsissima & nullâ unquam ratione probata. Nulla equidem panni pars notabilis est quæ non sit pannus; sed particulas minutiores, filamenta & lini lanæque capillamenta, quæ actu adhuc intra texturam engyscopia deprehendunt, pannos esse quis dixerit? Arenæ subtilioris cumulus fluidus est ad oculum, & fluida quælibet ejus pars notabilis; singulæ tamen arenulæ tantum abest ut fluidam habeant naturam, ut potius totidem silices dixeris ubi microscopium adhibueris. Ita in naturalibus quoque indubia est crystalli, aquæ, aeris, &c. notabiliorumque singularum partium pelluciditas; innumeræ tamen ipsorum partes opacas esse, notabilis aliqua, in singulari, lucis reflexio nimis evidenter evincit. Ita lævia & politissima ad sensum nostrum corpora ex meris asperis particulis contexta, monticulis quasi quibusdam & vallibus distincta conspicatur oculus perspicillis novis adjutus, quas sibi relictus nunquam deprehendisset: adeò ineptus est judex in his subtilioribus inermis sensus: adeò nullæ sunt, ut alibi ita in præfenti negotio, illationes similes ejus quam videre est apud Philoponum in Comm. ad loc. Arist. hactenus consideratum, hæc dicentem: καὶ τὴ μεράλε Φησί (Aristoteles nimirum) καὶ δι μικροῦ οὐ αὐτῇ ὑπή εἰτι μεταβάλλεται εἰς ἐκάπον πεκμῆειον δὲ τάττε Φησίν, οὐδὲ οὐ τῇ μεταβολῇ τῶν σωμάτων (NB.) γέδεν ὅρων καὶ δὲ τῷ μείζονι γνωμένῳ ἔξωθεν περιστρέψαμεν, οἷον ὅταν ὑδωρ

εἰπὸν γένηται, οὐπεὶ δὲ πιονέντες ἐλάτλον τὸν οὐφαύριμενόν π. i. e. Et magni & parvi eadem est materia, mutata in utrumq. (intellige citra materiæ alienæ ingressum aut egressum) signum autem hujus, ait, quod in transmutatione corporum nihil videmus nec εἰ quod majus sit forinsecus accedens, ut cùm aqua in aërem mutatur, negat ablatum quid ex eo quod fit minus.

XLIII. Quod si itaque vel maximè posterioris hujus, quem urgent Aristotelicorū pleriq; rarefactionis & condensationis modi impossibilitas demonstrari non posset, quod factum tamen à nobis non semel, nulla tamen esset in examinatis hactenus argumentis vel probabilitas, quæ, ultra priorem, hunc quoque agnoscere persuadeat: maximè cùm omnia rarefactionum & condensationum exempla per istum solum explicari abundè queant, vel ex ipsis Aristotelis hypothesibus. Negant hoce quidem è recentioribus Gassendus & Honoratus Fabri alter ut vacuitates suas & inania spatiola extorqueat; alter ut suam propriè-(sibi sc.) dictam, quæ per alterationem est rarefactionem & condensationem, stabiliat; utriusque tamen argumenta non nisi falsis suppositionibus nituntur.

XLIV. *And dices verò aliunde, inquit Gassendus Animadvers. in Lib. X. Diog. Laert. p.m. 299. quod idem Aristoteles (NB. Adversarium Philosophi vidisse, quod ex ipsis placitis suæ de vacuo intersperso opinioni obstatre posset, cùm ipsi Aristotelici plerique id neglexissent hodieque negligant) inexistere rebus omnibus substantiam quandam calidam & animalem, quæ poros onnes replete ac specialiter corporum rarorum; & dum corpus densum rarescit, inter particulas ejus abjugatas non inania spatiola intercipi, sed particulas illius substantiae; & cum rarum deincepsit, particulas ejusdem excludi? Si dicas, redit difficultas. Nam esto v.g. pes cubicus aëris; cùm animalis ista substantia sit ipsa aëris substantia tenuior, debet profectò ex paucioribus materiæ particulis, quam illa, constare; igitur in toto pede cubico non sunt falso tenui*

tem plures partes materiae, junctis simul aëreis animalibusq; quam si constaret ex aëreis totus. Quæso autem, an in isto pede ex utrisq; particulis aggregato sint totidem materiae particulae quot in pede cubico vel aquo vel plumbeo? Dices profectò tot non esse: at qui spatiū à pede illo occupatum non habet pauciora spatiola, respondentia particulis, quam occupatum ab isto; annon igitur in priore sunt spatiola seu spatiī particulae non occupatae, neq; à particulis aëreis nec ab animalibus, ac proinde prorsus inanēs? Concludit autem notanter his verbis: Nempe ut non sint, debent particulae aëreae & animales simul non esse aqueis plumbeis ve pauciores. Hoc unum sc. est quod capere Gassendus, præjudiciis occupatus non poterat, quodque prolixam hanc ejus demonstratiōnem facit vitiosam & paralogisticaam. Cum animalis ista substantia, inquit, sit ipsa aëris substantiā tenuior debet profectò ex paucioribus materiae particulis quam illa constare. Cur verò hoc Gassende? Tenuioris corporis particulas eisdem subtiliores esse & minutiores, quam crassioris idem spatiū occupantis, concederim; pauciores autem cur esse debeant, tantum abest ut videam rationem ullam, ut contrarium planè evidens esse putem. Quid enim quæso impedit quod minus tenuissimæ corporis subtilissimi, e. g. flammæ, particulae sibi quam proximè junctæ, ipsumque adeo corpus densum sit; ex adverso autem sensibiles quædam & crassiusculæ, e. g. spongiæ vel pumicis, partes magis disjunctæ rarum quoddam corpus constituant, h. e. juxta tuas ipsius definitiones, ibi plus hic minus materiae contineatur? Quæso autem, pergis, an in isto pede ex utrisq; particulis (aëreis sc. & quæ interjecta his spatia complere dictæ sunt, reliquis subtilioribus) aggregato sint totidem materiae particulae, quot in pede cubico vel aquo vel plumbeo? Dices profectò tot non esse. Cur autem, amabo, hoc dicam, & quomodo non potius oppositum tu ipse necessariò dixeris, nisi vacua tua spatiola corporibus intermixta (quæ tamen, utpoti te

te hoc loco controversa , hoc ipso tuo discursu probarede-
mum fatagis) vitiosâ probandi assumtione supposueris ? Pes
cubicus utrobique est , & is quidem ibi materiâ aëreâ & aliâ
subtiliori , hîc verò aqueâ vel plumbeâ , omnimodè comple-
tus (loqueris enim manifestè ex nostra hyothesi & ex eadem
tamen tuam deducere conaris opinioneum , methodo sc. geo-
metricâ eruditis usitatissimâ) Divide jam cogitando materi-
am istam cubiformem in 100. 1000. 10000. &c. partes , &
judica annon hæc altera itidem cubiformis , & quidem peda-
lis æquè ac illa , totidem necessariò & ipsis quidem æquales
partes contineat , atque adeò impossibile sit vel somniare plu-
res hîc quam ibi particulas ? Hoc equidem verum est & erro-
ris tui causa : Plures in pede aqueo vel plumbeo materiæ sen-
sibilis & crassioris particulas contineri quam in pede isto aë-
reo ; vel etiam plus ibi aquæ aut plumbi , quam hîc aëris ha-
beri : at inde simpliciter , quod plus ibi materiæ quam hîc
sit inferre , est fallaciam , quam à dicto secundùm quid ad
dictum simpliciter appellant , committere . Si est extensio vel
ipsissima materia , vel propria materiæ affectio , uti nos in su-
perioribus demonstravimus , & Gassendus ipse verbis suprà
citatis , imprudens quasi faretur , quomodo non est impos-
sibile , tantundem esse in duobus datis cubis extensionis , &
plutamen in uno quam in altero materiæ ? Patet igitur , si
argumento evidenti subtilior ejusmodi materia per orbem
universum , atque adeò per aërem quoque &c. diffusa [num
calida vel animalis rectè dici queat , non attento] demon-
strari possit ; non solum vacuis Democriticorum spatioliis ad
explicandam rarefactionem & condensationem non opus ,
sed nec alium utriusque modum excogitandum esse , præter
facillimum istum qui per admixtionem aut exclusionem ali-
enæ materiæ rem penitus conficit.

Ma-

*Materia subtilissima per universum
diffusa, Aristoteli φύσις λατῶν ἀσφων
σοιχεῖον αἰνάλογος dicta*

Quandoquidem ergo Aristoteli quoque hanc de materia *XLV.* subtilissima sententiam non temerè adscribit Gassendus, adducemus ante omnia quædam Philosophi loca, quæ Gassendi observationem confirmant, & postmodum rem ipsam è jactis superiùs fundamentis demonstrabimus. Et quidem præter vulgaria quatuor elementa Aristotelem quintum quoque agnoscisse, idque simplicissimum, corpus, nem non nisi hospes in ejus Libris ignorare potest. Legat qui vollet 3. solùm cap. Libri 1. de Cœlo, atque inibi notet hæc præcipuè verba: Διότι μὲν δὲν αἰδοίον καὶ γῆπεν ἀνέγουν ἔχον εἴπη Φίλιον, αὐτὸν αὐγήσειον καὶ αναλογίον καὶ ανατίξις ἐστι τὸ περιόλον λαὸν σωματίων φανερού ἐκ τῶν εἰρημένων ἐστιν. Per hoc primum corpus autem ipsum nihil aliud quam id, quod & veteres ante ipsum & moderni Philosophi Aetherem appellare consueverunt, intellexisse nimis evidens est ex paulò post sequentibus; cum inquit: διόπερ αἱς ἐπέρε πνὸς ὅνται τὰ περιττὰ σώματα. οὐδὲ γὰρ καὶ πῦρ καὶ αέρα καὶ ὕδωρ, αἰθέρα περισωνόμαστον τὸν ἀνωτάτῳ πόνῳ. Conferantur, si placet, finis VIII. cap. hujus Lib. I. item Lib. III. cap. I. initium, atque ad ista loca Simplicii & Alexandri Commentaria. Neque vero minus notum est hunc ipsum aetherem aut ejus partem nobilissimam, & quasi florem, Aristoteli materiam astrorum dedisse, siquidem & cap. 7. Lib. II. de Cœlo ἐν λογιστικῷ δὴ καὶ τοῖς εἰρημένοις ἐπόμενον ἡμῖν, inquit, τὸ ἔκαστον λαὸν ἀσφων ποιεῖν ἐκτότε τὰ σώματα. ἐν δὲ τηγχαῖτε τῷν φορρὸν ἔχον: & II. de Gen. an. c. 3. materiam istam τὸ τῶν ἀσφων σοιχεῖον appellat. Quamvis autem in hoc erroris recte convictus à Tychone Braheo Peri-

pateticis hodie ipsis censetur, quod simplicissimum istum ætherem instar crystalli durum atq; in orbes solidos discissum putaverit; in ipsa tamen re eruditæ omnes, exceptis Epicuri ac Democriti sectatoribus, qui totum spatiū æthereum pro vacuo & incorporeo habent, ipsis consentiunt.

XLVI. Non solum autem ætherem Aristoteles, dictumque stellarum elementum, sed præterea aliam quoque materiam huic elemento analogam, & per universum mundum diffusam, omnesque mundi partes quasi animantem, h. e. ad varios motus exercendos excitantem, agnovit; id quod videre est in primis è modo cit. II. de Gen. an. c. 3. & III. Gen. an. cap. 11. (al. 10.) quem posteriorem locum Andreas Cœsalpinus quoque ad hoc ipsum probandum allegat Lib. 1. quæst. Perip. VII. p. 22. in fine. In priore loco hæc habet Philosophus: πάντος μὲν ἐν ψυχῆς διάβασις ἐπέργη σάμαται τόποι κεκοντκέναι καὶ θεοτέρης τῶν καλέμενων συχέων. i. e.: Omnis animæ potentia corpus aliud participare videtur, idque magis divinum quam ea quæ elementa vocantur, sc. τὸ καλέμενον θεομόν, ut paulò post habet, & statim, Φύσις αὐτάλογος θοι τῷ τῷν ἀσφαλεῖσθαι. Posteriori autem loco reliqua habet quæ diximus, dum Generantur, inquit, in terra & humore animalia & Plantæ dicā τὸ οὐ γῆ μὲν τοσαρχεῖν οὔγρειν, ἐν δὲ ὑδάτῃ πνεῦμα, ἐν δὲ τῷ παντὶ θεομότητε ψυχικήν (N.B.) ᾧ τρόπον ίντα πάντα ψυχῆς εἶναι πληρεῖ: egregiè sic detegens fontem & scaturiginem omnis vitæ omniumque vitalium animaliumque actionum, generationis primordia seu ἀρχὴν ζωτικὴν ut ipse loquitur in loco priore, ἀρχὴν ψυχικὴν, ut habet in posteriore, cum multis aliis elegantissimis hic in primis facientibus.

XLVII. Ut ita sententia verè-Peripatetica, non è Scholasticorum rivis, sed ipso fonte petita, de mundi elementis & generali systemate, hæc esse videatur: si statuamus vastissimum hoc mundi spatiū repletum esse æthere purissimo ac pellucidis-

simo, nisi quod in aliquibus hinc inde locis (quæ singula ad istam vastitatem non nisi punctorum rationem habeant) flos quasi istius materiæ in globorum formas & corpora densiora confluxerit stellasque constituat ; alibi partes materiæ crassiores itidem circa centrum aliquod, pro varietate crassitatis & gravitatis suæ, compositæ terream, aquam, aëream &c. substantiam absolverint ; sic tamen ut (quia crassiores illæ elementorum partes ita se mutuò contingere non possunt, quin interstitia quædam inter se relinquant, quæ vacua esse non possunt) ætherea substantia per hæc omnia, ac per hanc porrò, & consequenter unâ per illa omnia (ob rationem similem) alia adhuc longè subtilissima materia, vel eadem cum stellarum elemento, vel ipsi analoga, diffusa sit; partium adeò incomprehensibiliter subtilium ac tenuium (τὸ δὲ λεπίδην ἀναπλησικὸν λεπιόμερες γὰρ καὶ τὸ μικρομερὲς ἀναπλησικὸν, inquit Arist. II. de Gen. & Corr. cap. 2.) ut flecti facillimè in omnes formas, omnia spatiola minutissima ita completere valeant, ut nihil vacui in tota rerum natura relinquatur. Qua quidem de re idem sentientem etiam Platonem invenimus, nisi quod materiam istam subtilissimam, Aristoteli, Hippocrati &c. τὸ θερμὸν appellatam, expressius ignem ipsum esse dicit. Sic enim in Timæo Locro: πῦρ μὲν ὁν διὰ τὰς λεπιόμερες διὰ πάντων ἦκεν, αἵρετε διὰ τὰς ἄλλας, εἴχω πυρὸς ὑδωρ δὲ διὰ τὰς γᾶς· ἀπαντεῖ δὲ ὃν πλήρης εὐθὺς σύδεν νεφελίπονται· i. e. ignis igitur ob partium tenuitatem per omnia penetrat : aëris item per alia elementa excepto igne : aqua autem per terram. Omnia igitur plena sunt, nec vacuæ quidpiam relinquunt.

Est autem hæc hypothesis adeò congrua veritati & paucis *XLVIII.* istis, quæ sub initium hujus tractationis de Motuum circulatione jecimus, fundamentis; ut inde, tanquam à priori, eam deducere, imò plura quoque huc pertinentia & in sequentibus

profutura, non dubitemus, assuntis his duobus insuper, et pariter evidenter principiis:

1. *Quo minus est corpus, ceteris paribus, tantò faciliùs ejus figuram mutari ab impulsu aliorum corporum.*

Sicut e. g. globulus exiguis plumbeus longè faciliùs ab istu mallei complanatur, quam major aliquis &c.

2. *Minus corpus (ceteris itidem omnibus paribus) plus agitatio[n]is recipere, h. e. celerius moveri, quam maius, ab eodem seu aequali impulsu.* Quod illustrari potest elegantiloco Arist. è Lib. II. Meteor. text. 41.

XLIX. Hinc namque sequentia infero:

I. Cùm materia nihil sit quam extensio divisibilis, mobilis &c. ita ut sub hoc conceptu nil sifat nisi spatiū quoddam undiquaque uniforme, apparet ipsam varias subire formas non potuisse, nisi divisibilitate, mobilitate &c. ipsis in actum deductā à mundi opifice, h. e. nisi divisa in partes & hæ partes motæ fuerint: sive jam successivè primū creata à Deo materia, dein divisa, post mota, sive simul cum partium aliqua distinctione, motuque producta, fuerit, id quod liberrimæ ejus voluntatis fuit & à Physico quā tali non sine temeritate determinatur. Confirmant autem hanc nostram conclusionem, tūm ipse Aristoteles I. Met. c. VII. vel t. 12. & 13. ad stipulante Sohnero in Comm. ad h. l. p. m. 137. & II. Meteor. t. 42. quem egregiè illustrat Alexander in Comm. tūm ejus quoque sectatores, & quidem præter allegatos, Casalpinus quoque Lib. I. Quæst. Perip. VII. p. 21. & è recentioribus Joh. Zeisoldus Disp. VIII. Theor. corp. §. 37. &c.

II. Et quia, præter alias, ea nunc actu deprehenditur à nobis corporum varietas, quod alia quidem è crassiusculis par-

partibus contexta , alia verò , & in primis vastissimum istud
mundi expansum , stellarum ac reliquorum compactiorum
corporum commune receptaculum adeò tenue adeò subtile
ut multis planè vacuum (sed erroneè ut suprà demonstra-
tum) putetur , particulis immane quantum subtilioribus
conflata sint : necessum est vastum istud materiæ spatium
ab initio in particulas ejusmodi , omnes quidem insensibiles ,
magnitudine tamen reverà fortè diversas , divisum , & , ut
subtiliores (quas maximam partem absolvisse oportet) cœlos
constituerent fluidissimos , crassiusculæ autem (si tamen sub
initium statim factæ & non potius priorum aliquarum con-
cretione demum ortæ sunt) elementaria & compactiora cor-
pora conflarent ; ab invicem actu separatas h. e. motas fuisse.

III. Quandoquidem autem partes istas omnes , et si minu-
tissimas & insensibiles , sine figuris tamen concipere non pos-
sumus ; evidens est sive crassiusculæ solæ juxta se , sive solæ
subtiliores , sive hæ inter illas motæ fuerint , inter trium
quarumcunq; contactum spatiolum aliquod seu interstitium
residuum fuisse ; quod cum vacuum esse non potuerit , per
suprà demonstrata , necessarium est aliquam porrò fuisse
materiam incomprehensibiliter ad huc subtiliorem , quæ suis
particulis suprà captum exiguis illa repleverit .

IV. Atque ut pateat tandem è Circulatione nostra hujus
subtilissimæ substantiæ pendere originem , sistamus obtu-
tui nostro partem aliquam materiæ in particulæ suis jam
quasi lineamentis designatas sed nondum actu separatas , di-
stinctam ; & concipiamus jam moveri i. e. separari à vicinis
incipientem particulam unam . Demonstratum certè est
id fieri non posse , nisi integer simul partium aliarum circulus
moveatur : moveri autem integer iste corpusculorum circu-
lus qui poterit , nisi & ipsorum contigui & aliorum interje-
cti anguli se mutuò redundant & radant , atque ita ramenta

*Causa materiæ cujusdam subtilissimæ
ista subtilissima in locum cedentium & retusorum angub-
rum succedant?*

V. Ne verò in infinitum ita progrediendum esse imagi-
nationi nostræ putes, & inter ramenta hæc aliam porrò na-
teriam adhuc subtiliorem statuendam esse, quæ ipsorum
interstitia compleat &c. cogita per motus istius & abrasionis
continuationem seu violentiam ad eam (etsi nostræ imagi-
nationi imperceptibilem) exiguitatem redacta esse ramen-
ta ista, ut, quamvis singula singulis momentis certam ha-
beant figuram, ad singulos tamen reliquarum particularum
impulsūs (quos ipsa, indefinite quippe exigua, vi 2. princi-
pii num. XLVIII. anteced. indefinite magnos recipiunt) eam,
vi 1. dict. I. principii, repente mutent, & ad intervallorum, in
quibus istis partibus occurruant, figuram exactissimè com-
plendam se accommodent. Quæ omnia et si concisa nimis,
nimium subtilia cuiquam videri queant, à Physico tamen
qui negligi possint, nisi vacuum in natura admittere, ipsam-
que adeò corporum naturam evertere velit, ego quidem
non capio.

VI. Neque dubito quin obiter hinc, me non monente,
curiosus lector judicet primas istas materiæ particulas per
attritionem istam mutuam rotundiores esse factas atque a-
deò, quod de igne statuerat olim Philoponus ex eâ ratio-
ne quod sphærulæ essent ~~eu~~ faciliusque corporum poros
subirent, de cœlo probabilius concipi, totam nempe ipsius
vastitatem non esse nisi innumerabilium ejusmodi, omnem-
que sensum fugientium, sphærularum congeriem, quarum
exigua intervalla ab ista materia subtilissima modò ante di-
cto adimpleantur.

VII. Et cùm reliqua compactiora mundi corpora, quo-
rum particulæ crassiores & magis irregulares majora neces-
sariò circa se intervalla reliquerunt, in illo vastissimo & agita-
tis-

tissimo æthere quasi natent; aliter fieri haut potuit, quām ut
subtilis ista ætheris substantia & unā cum hac reliqua ἡ τὸν
ερων συγχέσθαι ανάλογος Φύσις, in eos meatus penetraret adeoque
per omnia diffunderetur; planè ut Aristotelem veteresque
voluisse superius constitit.

VIII. Porrò , quia primus universæ materiæ motus à Deo & impressus ad ipsam dictâ ratione dividendam, & in eadem quantitate postea (quoad totam sc. rerum universitatem) conservatus meritò supponitur ; in singulis tamen partibus diversam esse quantitatem illam necesse est, minorem sc. in partibus majoribus, majorem in minoribus : ita ut particulae crassiōres & terrestres minimè omnium , cœlestes fortius ac celerius, ac subtilissima tandem materia quam celerrimè ac vehementissimè agitetur, tūm per 2. num. XLVIII. principium (σφοδρίτετον γάρ εἰς αναγκης τὸ τάχυστε φερόμενον . — τοιχ- τον δέ τὸ λεπτότετον, ut rectissimè judicat Arist. II. Meteor. text. 41.) tūm ideò quoque, quod per angustiores & obliquiores vias perpetuò fluit.

IX. Denique quia vita & calor omnis ē certo quodam & vehementer motu dependet, apparet obiter quām recte Aristotle, Hippocrates, Plato &c. subtilem ejusmodi naturam omnis vitæ & caloris fontem per totum universum statuerint: de quibus omnibus suo loco plura.

Quandoquidem ergo, vi hactenus demonstratorum, o-
mnis æther à perpetuo fluxu naturæ cujusdem subtilissimæ,
aér & aqua ab hac & illo, terra tota ab his omnibus, ejusque
partes à plerisque perpetuò permeantur, quid opus est quæso
alium Compressionis ac Dilatationis, Condensationis & Ra-
refactionis modum effingere, præter eum, qui per interce-
ptionem vel exclusionem dictorum permeantium corpo-
rum in reliquis permeatis rem omnem meridianâ luce cla-
rius exprimit? Et quid facilius nunc erit, quam omnes Va-
cui-

cuiistarum objectiones & argumenta dissolvere? vestigiis
 sc. Aristotelis Græcorumque ejus Interpretum, suprā num.
 XXXIV. & seqq. commonstratis inhærendo, nec devian-
 do per insuperabiles ac spinosos incomprehensibilium alte-
 rationum labyrinthos, ad quos deducere frustrâ laborat evi-
 dentia, rerumque magis quam vocum, studiosos, Hono-
 ratus Fabri cum sui similibus: prout in seqq. ubi de aeris
 elatere (ut vocant) h. e. virtute expansiva & ex-
 pulsiva actum prius erit, ad oculum o-
 stendemus.

[Ut reliquum hujus pagellæ vacuum ne relinqueretur, id quoq;
 ab Aristotelis natura stellarum elemento analoga compleri
 voluimus, annotato uno alteroq; loco è Guilielmi Harvei
 Medici celebratissimi Exercitat. de gener. animalium;
 quibus, dum hæ pagellæ sub prælō sudant, forte perfectis illius
 subtilissimæ substanzæ mentionem reperio familiarissimam,
 et quidem sub nomine Aristotelico, et ex iisdem (è quibus no-
 bis) Philosophi locis factam. Vid. e. g. Exercit. 27. pag. m.
 109. Exerc. 46. in fine. Exercit. 70, pag. 315. & seqq.
 Quo ultimo loco Scaligerum quoq;, Fernelium &c. corpus
 ejusmodi subtilissimum, simplicissimum, tenuissimum,
 velocissimum &c. in animalium sanguine, et quidem occa-
 sione eorundem Arist. verborum (etsi minus rectè ipsius judi-
 cio) statuisse narrat.]